

multi correlatum. Unum quippe & multum sibi opponuntur, pars autem propriè relationem habet ad totum, quamvis in re ipsa hæc sepe coincidunt.

12. *Ens & unum convertuntur*, sive, ut Plato loquitur, unum semper ens & ens unum mutuis nexibus amplectitur; item, quod unum est, id est.

EXERCITATIO LXVIII.

De relatis axiomata tria Ontosophica.

1. **R** *Elatio omnis est inter plura.*
 Hoc axiome Cl. Conrad. Bergius utitur ad probandam pluralitatem personarum in Deitate Principp. Theolog. theoret. cap. 3. sect. 2. num. 4. ubi ad quæstionem quam his verbis proposuerat: *utrùm sit aliqua Dei productio naturalis, quæ terminetur ad distinctum productum, simpliciter æquale et coeternum, quare & ipsa sit æterna et perfecta simpliciter, sicut producens est ens simpliciter*, secundam responsionem hanc adfert:

2. *Probari potest huiusmodi productio ex ratione communi substantia intelligentis. Intelligere, gaudere, diligere, acquiescere, sicut*